Lanckoroński Joannis: Theoremata logica
ex cursu philosophico Vladislaviano

THEOREMATA
LOGICA
Ex Cursu Philosophico
VLADISLAVIANO
Publicè
IN ALMA ACADEMIA CRAC:
PER
IOANNEM LANCKORONSKI,
Castellanid: Câmenecen: Philosophiæ & Iuris Aud:
AD DISPVTANDVM,
IN AVGVSTA D. IAGEL-LONIS AVLA

PROPOSITA.
Disputationi asistente
E. D. *Magistro* MARTINO SLONKOWIC *Regio, & pro tempore Cursus Vladislauiani Professore atq; Facultatis Philosophicæ Decano*
Anno à Partu Virginis 1649. Die 6. Decembr:

CRACOVIÆ,
Jn Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typographi.

3.

In arma Illustrissimæ Domus



Ascia regales inter nutrita maniplos:
Ascia Sceptrigeris condecorata Mitris:
Ascia Palladio quondam celeberrima fætu,
Ascia docta Dei exædificare domum
Perge bonis auibus nam si non talis adesses,
A Domino posses hoc didicisse Tuo.

HIERONYMVS LANCKORONSKI.
Alm: Acad: Crac Studiosus.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

D. GEORGIO

DVCI IN OSSOLIN,

Comiti in Thenczyn,

S. R. I. Principi, Supremo Regni Poloniæ

CANCELLARIO,

Bidgoſtienſi, Lubaczouienſi, Lubomlenſi,

Rycenſi, Adzelenenſi Lublinenſi, Præfecto, &c. &c.

Domino & Patrono Obſeruandiſſimo. F. P.

QVi ad Claſsicū fatali hoc Reipublicę tempore, ipſis de manibꝰ excidentibꝰ libris exhorrueramꝰ; dulci audito nomine pacis ludos noſtros, imò bella, ſed nō belluina reſumimus Illuſtr. Princeps. Æquè Martē ac Palladâ armauit ātiquitas, diuerſam licet bellandi rationem ſortitos. Quoties cruentus Mars in ſcenam prodit tragædiam, quoties pacata Minerua comædiam videre eſt: ibi metus, pauor,

uor, fuga, ſolitudo, hîc lætitia, plauſus, acclamationes; ibi Victor non indecoro licet puluere, ſordidus tamen, Victus aut duris vinctus colla ſtrepit catenis, aut inter turpi madentia tabo Magnorum Heroum cadauera, cælo carēs tegitur vrna; hic vterq; in mutuos ruit cōplexus, & quo exarſerat certando, mutat in amorem affectum vincendo. Et hinc duplex militiæ genus: Equeſtre & Togatum. Armis, viribus, corpore, Maiores prioris; literis, ingenio, animo poſterioris meruêre. Vbi diri ferro & arctis compagibus concluſi Iani poſtes, togatæ: vbi effractâ Bifrontis portá, ad cruentā igneas certamina ferus inuitare cæpit mentes Mars, armatæ profuit induſtria. Vt Regnorum ac Imperiorum fines deuictis dilatarentur hoſtibus, hæc; vt pacatè & tranquillè retinerentur, illa prouidit. Ita altera alterius ſuffulta præ-

ſidio,

ſidio, cum alias, tum hanc noſtram Polonam florentem ac beatã reddebat Rẽpubl: Nunquam illi in Sago, quâ hoſtium impetus reprimeret fortitudo, nunquam in Toga, quá benè conſuleret defuit prudentia. Multos inuictos numerabat bellatores, ſed & plurimos venerabatur ſapientiſsimos Senatores. Quorum cùm ex aſſe hæredem Te Illuſtriſsime Princeps hàc temporum conſpiciat tempeſtate, dici vix poteſt, quantum ſibi gratuletur. Tu eam diſertiſsimo tuo ore vniuerſo ferè orbi commendaſti. Tu calamo à mordaci maleuolórum lingua vindicaſti. Tu conſilio labantem & corruentem erexiſti. Ex te (licet ſerò) didicit tamen Orbis caput Roma, in frigora & Septemtrionẽ vergentibus, manſueta & ſuo diſsimilia eſſe ingenia cælo. Ex te magnanimitatis. liberalitatis, magnificentiæ, maxima

 ſum-

sumpsêre documenta cultiores illæ & elegantiores Gentes. Scilicet siue à Serenissimis Regibus ad externos Principes ac Reges legati munus ac officium obibas, siue ipse responsa dabas, siue comitiorum contenta in frequentissimo omnium Ordinum consessu exponebas, siue difficillimas, & intricatas Reipubl: causas discernebas; vbiq; prudentiâ, consilio, eloquentiá, summus apparuisti Senator. adeò, vt dubium reliqueris, maioremne à tuo Genere, (quod antiquissimum & Illustrissimum habes) splendorem acceperis, an tuis præclaris & immortalitate dignis facinoribus illi affuderis. Quò maior mihi affulget spes, hanc meam concertationem quam in circo Palladis aggredior felicissimum habituram euentum. Quæcunq; enim ex densis argumentorum conflatæ halitibus cœlum abstulerint nebulę Tuę

Sere-

Serenitatis innatâ luce facilè omnes di-
ſpellentur: quicunq; emiſſorum in me te-
lorum periculum exiſtimationis adferēt
impetus, ad aciē Gentilitię tuę Aſcię alli-
ſi, vim cum motu amittent. Nimirum
hęc eſt Aſcia quâ obſtetricante longè fa-
ciliùs quam illa Vulcani non iam è Iouis
Cerebro, ſed è Reipub: Polonę ſinu in-
numeri prodeunt Senatores. Nimirū
hęc eſt Aſcia, quę promptiùs, quàm Ale-
xandri Macedonis mucro, Gordios diſ-
ſoluit nodos. Hęc eſt, quam longè iuſti-
ùs Romanorum Conſulum ſecuribus,
Orbis Europęus obſeruat ac veneratur.
Quod ſi ſuperſtitioſa Antiquitas clauā
illam quá Alcmenę filius monſtra innu-
mera perdomuit non alibi quàm ad De-
orum ſuorum fana ac delubra aſſeruâuit
Quem locum grata ad ſeruandam tuā
Aſciā inueniet Reſp? Mihi certè ali⁹ non
videtur accōmodatior, quàm animus no

 ſter

ſter, qui innumeris tuis obligati benefici-
is hoc maxime curabimus ne obliterata
vnquã memoria tua in nobis conſene-
cat. Tutius ibi & diutius quam ad ſana
Deorũ, ſacrum hoc durabit depoſitum.
Quod ego cũ omnibus meis, debito cũ
honore ſuſcipiens, vt non mecum intere-
at; ſed cum gratis Patriæ Ciuibus quam
diu ipſa duret ex animo precor & opto.
Data Cracouię X V I I. Nouembris.
Anno Domini M. DC. XL. I X.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ
Deuotus cliens & ſeruus humillimus
IOANNES LANCKORONSKI
Philoſ. & Iuriſprudentiæ Stud.

THE-

THEOREMATA VNIVERSÆ LOGICÆ EX TRACTATV PROOEMIALI

DE NATVRA PHILOSOPHIÆ.

I.

PHiloſophia nec inutilis, nec vana, nec impoſsibilis, nec pernicioſa, ſed diuina quædā poſseſsio eſt; cōuenientiſsimèq; adinuenta. Definitio eius accurata non poteſt aſsignari; illa tàmen eſt optima, quâ dicitur rerúm diuinarum humanarumq; cognitio. Rectè autem diuiditur vel ex fine in ſpeculatiuam & practicam; vel ex obiecto in realem, moralem & rationalē. Rationali verò non ſine ratione primus conceditur locus.

DE NATVRA LOGICÆ.

II. Logicam eſſe ſcientiam propriè ſumptā non eſt dubitandum; & quod inde ſequitur nec practica, nec ſimul ſpeculatiua & practica eminēter, ſed ſimpliciter ſpeculatiua debet appellari.

Vnitas illius numerica ex vno numero ſubiecto, ſpecifica verò ex obiecto formali deſumenda. Nec ſunt audiendi, qui numericam, vel analogicam, ſiue aggregationis huic ſcientiæ attribuunt vnitatem; cum ſit vna ſimplex qualitas, habens vnum obiectum formale adæquatum, videlicet ens rationis logicum. Vnde qui pro obiecto Logicæ ſtatuunt aut voces, aut res, aut operationes intellectus, aut argumentationem, aut modum diſſerendi, qui idem valet quod argumentatio, aut ſyllogiſmum, aut demonſtrationem, omnes hi vel ſecundarium ſumunt obiectum, vel partiale, non formale adæquatum. Diuiſiones Logicæ pro diuerſo reſpectu reperiuntur variæ; inter quas illa celebrior in docentem & vtentem rectè ſtatuitur: vbi ſimul indicatur, Logicam vt eſt vtens ad omnes ſcientias eſſe neceſſariam. quæ neceſsitas nõ ſecundum quid, ſed ſimpliciter & abſolutè eſt intelligenda; ita vt ſine ea nulla ſcientia perfectè poſſit comparari.

EX TRACTATV VNIVERSALIVM.

DE VNIVERSALIBVS IN COMMVNI.

III. Quidquid antiqui dicant, qui non niſi id quod ſenſu percipitur, norunt, & his proximi Nomina-

minales qui vniuersalia solas voces esse & conceptus docent: quidquid deinde Plato de Ideis, & qui formaliter vniuersalia præter intellectum ponunt, is tantum rectè sentit de vniuersalibus, qui ea fundamentaliter dicit esse in singularibus, formaliter in intellectu. Sunt autem duo, quæ vniuersalitatem constituunt, vnitas & communitas, siue aptitudo essendi in multis; quæ aptitudo vltimò complet vniuersalitatem. Vnitas verò intelligenda non formalis, quæ à quibusdam frustra astruitur minor numerica à parte rei, distincta realiter ab ipsa numerica, sed præcisionis: aptitudo quoq; non negatiua siue physica, secundum quã non repugnat naturæ ex suis principiis essentialibus multiplicari, quæ aptitudo est remota; sed positiua siue Logica secundum quam natura est indifferens, ad plura, quæ aptitudo est proxima. Hinc vniuersale rectè definitur, id quod aptum est inesse multis. Estq; ad illa quinq; vniuersalia, quæ à propria passione vniuersalis, id est à prædicabilitate dicuntur prædicabilia, genus vniuocum.

DE GENERE.

IV. Genus rectè definitur, id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid. Cuius definitionis definitum formale est notio secun-

da, siue genereitas. Tale autem genus non potest conseruari in vnica specie, sed in pluribus; ad quas omnes eadem habitudine refertur, cum earum indiuiduis, tanquam ad correlatum suum, siue terminum adæquatum; & tanquam totum ad partes: quam habitudinem non habet ad differentiam, sed ad eam refertur vt pars, siue vt potentiâ ad actum: vnde genus non potest prædicari per se de differentia.

DE SPECIE.

V. Species inter vniuersalia habet locum non vt est generi subijcibilis, sed vt de indiuiduis prædicabilis. Et quamuis omnis species subiicibilis sit etiam prædicabilis, non tamen est vna ratio, secundum quam speciei nomẽ vtriq; conueniat, sed hoc nomen respectu vtriusq; videtur æquiuocum esse. Definitur species ratione subiicibilitatis vel per definitionem essentialẽ, Species est quæ est sub asignato genere; vel per descriptiuam, Species est de qua genus prædicatur in quid; quæ definitiones competunt tam speciei infimæ quam subalternæ: iam verò ratione prædicabilitatis potest quidem definiri per essentialem definitionem, Species est quæ inest essẽtialiter pluribus numero differentibus, communiter tamen definitur per descriptiuam definitionem tanquã ex notioribus,

Speci-

Species est quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in quid; sicq; sola definitur species infima in ordine ad indiuidua. Indiuidui autem recta est difinitio, id quod de vno tantum prædicatur.

DE DIFFERENTIA.

VI. Diuisio illa differentiæ in communem, propriam, & maxime propriam est analogi in analogata. Differentia vero quæ constituit vnum prædicabile ex quinq; vulgaribus habet triplicē respectum, ad genus quod contrahit, ad speciem quam constituit, & ad inferiora de quibus prædicatur, ideo non mirum, quod plures eius definitiones secūdum hos plures respectus à Porphyrio assignentur: ex quibus definitionibus illa quâ differentia dicitur esse id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid competit differentiæ respectu inferiorum, idq; soli differentiæ subalternæ siue genericæ; per hoc tamen nec differentia specifica tollitur, nec Porphyrius sic definiens differentiam fuit diminutus: imo differentia in ratione vniuersalis neq; per ordinem ad speciem, neq; per ordinem ad hanc & illam differentiam, sed per ordinem ad indiuidua constituitur: conuenitq; infima differentia specie cum sub alternis; nec eas in se includit. Cum autem dif-

ferentia alia sit constitutiua, alia diuisiua, diuisiuæ diffentiæ sunt sibi contrariæ quamuis imperfecta contrarietate,

DE PROPRIO.

VII. Proprium quatuor modis sumitur; sed prædicabile proprii non nisi per quartum modum constituitur. Vnde qui vel omnes modos, vel aliquem ex tribus aliis præter quartum in hoc ponunt prædicabili non rectè distinguunt prædicabilia. Licet autem proprium & commune sibi opponantur, posſunt tamen eidem competere respectu diuerso, videlicet respectu speciei aliquid est proprium Metaphysicè, de qua vt quid consecutum ad esſentiam eius sibi æqualem prædicatur, tantumq; est prædicatum non prædicabile; respectu autem indiuiduorum, quibus communicatur idem est commune Logicè, de eisq; prædicatur vt vniuersale superius, & est iam prædicabile. Priori modo definitur, quod competit omni, soli & semper, conuerti turq; cum ea re cuius est proprium: posteriori modo potest definiri, quod prædicatur de pluribus in quale accidentale vt aliquid ad illorum essentiam consecutum. Nulla autem proprietas quæ est destinata ad recipiendum aliquem actum accidentarium, similiter quæ est destinata ad agendum vel patiendum identificatur realiter cum suo subiecto.

DE

VIII. Accidens dicitur, quod contingit ineſſe & non in eſſe, ſeu quod adeſt & abeſt ſine ſubiecti interitu. Definitur quoq; per remotionem aliorum prædicabilium, ſed non tam commodè. Nec repugnat prædictæ definitioni illa diuiſio, quâ accidens aliud dicitur ſeparabile, aliud inſeparabile.

EX TRACTATV CATEGORIARVM.

DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

IX. Tres definitiones, duæ diuiſiones, & duæ regulæ rectè ab Ariſtotele ſunt aſsignatæ: non tamē analoga media inter vniuoca & æquiuoca ſunt neganda, quæ ſub æquiuocis à conſilio continentur. Et denominatiua quidem poſsunt dici media inter vniuoca & æquiuoca, alia tamen ratione quàm analoga. Nam analoga tantum ratione definitionis, quam partim habent eandem vt vniuoca, partim diuerſam vt æquiuoca: denominatiua verò non ſolum ratione definitionis quam partim habent eandem, partim diuerſam. ſed etiam ratione ipſius nominis, quod ſimiliter habent partim idem partim diuerſum. Diuiſionibus autem diui-

duntur

duntur res, primâ vt significantur vocibus, secundâ vt referuntur ad inferiora. At regulis ordo prædicamentalis indicatur, primâ quo ad rectam lineam, secunda quo ad collateralem.

DE PRÆDICAMENTIS IN COMMVNI.

X. Summa rerum genera nec pauciora nec plura esse quam decem communis Philosophorũ schola amplectitur. Licet autem accidentis prædicamenta omnia realiter distinguantur à prædicamento substantiæ, inter se tamen non est necesse vt omnia sic distinguantur, sed sufficit quod quædam distinguantur definitione. Errant autẽ qui prædicamenta à consideratione Logica reiiciunt.

DE SVBSTANTIA.

XI. Ratio substantiæ constitutiua est per se esse, quæ ratio est quid positiuum & reale. Estq; substantia vel prima vel secunda. Prima quæ magis est substantia quam secunda nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto: secunda quæ vocatur Species aut genus, & in qua prima inest dicitur quidem de subiecto, sed non est in subiecto. Vnde primæ opponitur accidens vniuersale quod & est in subiecto, & dicitur de subiecto: secundæ opponitur accidens particulare, quod est quidem in subiecto, sed non dicitur de subiecto. Diuisio

autem

autem ſubſtantiæ in primam & ſecundam, nec eſt vocis homonymæ inſua ſignificata; nec generis vniuoci in ſuas Species; nec accidentis in accidentia, id eſt notionis ſubſtantiæ in notionem ſubſtantiæ primæ, & notionem ſubſtantiæ ſecundæ; ſed eſt ſubiecti in accidentia, id eſt ſubſtantiæ in notionem primæ ſubſtantiæ, & notionem ſecundæ ſubſtantiæ. Proprietates verò ſubſtantiæ ſex numerat Ariſtoteles: non eſſe in ſubiecto: vniuocè prædicari: ſignificare hoc aliquid: non habere contrarium: nec intendi nec remitti: ſuſcipere contraria: quarum vltima tantum eſt quarto modo ſumpta.

DE QVANTITATE.

XII. Recto ordine ſubſtantiæ explicationē quantitas ſequitur, cuius ratio formalis eſt extenſio partium in ordine ad totum. Licet autem quãtitas realiter diſtinguatur à ſubſtantia, vt quodlibet aliud accidens, non tamen ſubſtantiâ, ſi per diuinam potentiam conſeruaretur ſine quantitate poſſet habere partes integrantes ſine ipſa quãtitate, ſed maneret indiuiſibilis. Diuiditur autem quantitas in continuam & diſcretam, non vt analogum in analogata, ſed vt verum genus in ſuas Species: dum verò diuiditur in eam, quæ ſitum ha-

tum habet in partibus, & eam quæ ſitum non habet: ſimiliter ſecũdùm mẽſuram in intrinſecam & extrinſecam, ſic diuiditur vt ſubiectum in accidentia. Continuæ rurſus tres ſunt veræ Species, linea, ſuperficies, & corpus: ſed diſcreta vera quantitas tantum eſt numerus, cuius forma eſt vltima vnitas. Nam oratio ratione menſuræ ponitur in quantitate diſcreta: quemadmodum motus & tempus in quantitate continua: ſic & locus ſub ratione menſuræ diſtinguitur à ſuperficie. At verò proprietates quantitatis aſsignantur tres: non habere contrarium: non ſuſcipere magis & minus: & æqualitatem vel inæqualitatem cauſare: quarum vltima tantum ſoli quantitati eſt propria.

DE QVALITATE.

XIII. Qualitas deſcribitur cõmodè ſecundũ quam dicimur quales: diuiditurq; ab intrinſeco tãtum in quatuor Species: habitum & diſpoſitionẽ, naturalem potentiam & impotentiam, paſsionem & patibilem qualitatem, formam & figuram. Habitus quidem & diſpoſitio Specie differunt, ſed reliqua paria v. g. naturalis potẽtia & impotẽtia &c. potius accidentaliter ſingula diſtinguuntur. Proprietates qualitatis tres aſsignantur: habere contrarium: ſuſcipere magis & minus: & res ſimiles vel diſsimiles reddere: quarũ vltima tantũ quarto modo ſumitur.

DE

XIV. Vt datur relatio rationis diſtincta ab ea quæ vocatur ſecundum dici, ita datur relatio realis, non ſolum ſecundum communem accidentis rationẽ, ſed etiam ſecundum propriam relationis diſtincta ab ea, quæ vocatur ſecundum eſſe. In omni autem relatione neceſſariò datur fundamẽtum & terminus; cum totum eſſe relationis ſit ad aliud: non tamen hinc colligitur in prædicamento relationis duo eſſe ſumma genera. Fundamentum verò non ſolum eſt remotum ſiue ſubiectum; ſed etiam proximum ſiue ratio fundandi, cuius tria genera aſsignantur in relatione prædicamentali, videlicet vnitas & numerus, actio & paſsio, menſura & menſurabile: ſed tranſcendentalis in ipſa fundatur immediata entitate: ab hoc fundamento proximo diſtinguitur relatio realiter ſecundum eſſentiam non tamen ſecundũ exiſtentiam. Terminus quoq; non ſe eodem modo ſemper habet: Nam in relatione mutua eſt quid reſpectiuum, in non mutua abſolutum: nec eſt neceſſe multiplicari relationem numero eiuſdem Speciei in eodẽ ſubiecto ad multiplicationem terminorum. Vnde relatio alias habet proprietates ratione fundamenti, videlicet habere contrariũ: ſuſcipere magis & minus: alias ratione termini ſiue ratione ſui

videlicet dici ad conuertentiam: esse simul naturâ: simul definitè cognosci.

DE VLTIMIS SEX PRÆDICAMENTIS.

XV. Vltima sex prædicamenta nec dicunt relationem secundũ esse siue extrinsecus aduenientem siue puram, nec aggregatum ex respectiuo & absoluto; nec solam extrinsecam denominationẽ; sed relationem secundum dici siue transcendentalem, siue modum absolutum intrinsecum relictũ ex applicatione, seu mutatione alicuius extrinseci. Definiuntur autem singula sic. Actio est forma seu actus secundum quem in id quod subijcitur (id est in passum) denominamur agere; vel est motus fluens ab agente. Pasꝭio est forma, quâ media passum recipit aliquid ab agente; vel est motus qui recipitur in passo. Vbi est circumscriptio pasꝭiua locati ab actiua circumscriptione loci proueniens. Situs est positio seu ordinatio partium in loco. Quando est id quod ex adiacentia temporis relinquitur. Habitus est corporum & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia.

DE POSTPRÆDICAMENTIS.

XVI. Ex comparatione prædicamentalium rerum inter se oriuntur quædam accidentia, quæ postprædicamenta, quasi prædicamentorum cõplementa appellantur; & hæc ab Aristotele nume-

rantur

rantur quinq; oppositio, prius, simul, motus, & habere. Oppositio habet quatuor Species, relatiuã, contrariam, priuatiuam, & contradictoriã; inter quas contradictoria est omnium maxima. Prius & simul pluribus dicuntur modis, vt tempore, natura &c. Motus diuiditur in generationẽ, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem, & loci mutationem. Nec habere suis destituitur modis.

EX TRACTATV περὶ ἑρμηνείας

DE NATVRA ET SPECIEBVS ENVNCIATIONIS.

XVII. Enunciatio quiditatiuè definitur Oratio verum vel falsum significans. Oratio autem, quemadmodum partes enunciationis nomen & verbum, quo ad materiam, id est quo ad vocem est à natura, quo ad formam, id est quo ad signficationem, est ex instituto hominum. Hinc oratio definitur, vox significans ex instituto, cuius aliqua pars separata significat aliquid, vt dictio, non vt affirmatio vel negatio : nomen verò definitur, vox significans ex instituto sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & casus recti: verbũ definitur, vox significans ex instituto, cũ tempore, cuius nulla pars separata significat aliquid & est

nota eorum. quæ de altero dicuntur, finita, & casus recti. Diuisio enuntiationis in categoricam & hypotheticam est vniuoca, habens modum quendam analogiæ.

DE PROPRIETATIBVS ENVNCIATIONIS.

XVIII. Proprietates Enunciationis rectè assignantur, oppositio, æquipollentia, & conuersio. Oppositio est repugnantia inter propositionem affirmatiuam & negatiuam, vel vtramq; vniuersalem, vt contraria, vel vtramq; particularem vt subcontraria, vel vnam vniuersalem alterã particularem vt contradictoria. Nam subalterna oppositio quæ his addi solet, est tantum secundum quid. Sub oppositione contradictoria tanquam omniũ maxima continetur oppositio duarum singulariũ inter se, vel duarum indefinitarum. Vtraq; autem contradictoriarum nunquam potest esse simul vera vel falsa; sed in necessariis vna determinatè vera, altera determinatè falsa, in futuris contingentibus vna indeterminatè vera, altera indeterminatè falsa. Æquipollentia est eadem vis duarum propositionum à diuersis signis proueniens: vsus eius est, vt obscuræ propositiones in clariores resoluantur. Conuersio est transmutatio vnius extremi totalis in aliud extremum totale, idq; vel simpliciter, vel per accidens, vel per contrapositionem:

nem: vſus conuerſionis eſt, vt per eam ſyllogiſmi imperfecti reducantur ad perfectos.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE.

XIX. Definitio & Diuiſio in eodem tractatu cũ enunciatione non incõmodè poſſunt cõtineri; cum ſint orationes quamuis imperfectæ: definitio oratio naturam rei aut nominis ſignificationẽ explicans; diuiſio orationem vel nomen per ſuas partes diſtribuens. Sunt autem definitio & diuiſio inſtrumenta ſciendi à ſyllogiſmo diſtincta.

EX TRACTATV SYLLOGISTICO.

DE SYLLOGISMO IN COMMVNI.

XX. Syllogiſmus dicitur oratio, in qua poſitis quibuſdã alterum quid à poſitis neceſſe eſt contingere, eo quod hæc ſint. Vnde colligitur cõcluſionẽ eſſe effectum ſyllogiſmi, nec ad eius eſſentiam pertinere. Figuræ autem ſyllogiſmorũ nec plures nec pauciores ſunt quam tres; in quibus habet ſyllogiſmus ſuas poteſtates & imbecillitates ab Ariſtotele rectè aſsignatas.

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

XXI. Dantur præcognitiones & præcognita, ex quibus poſſumus aliquid de nouo ſcire, ſecũ-

dum Ariſtotelem; qui dicit, quod omnis doctrina & diſciplina fiat ex præexiſtenti cognitione. Præcognitiones ſunt duæ, an ſit, & quid ſit: præcognita tria, ſubiectum, paſsio, & principia: prima præcognitio attribuitur principiis ſiue præmiſsis, quæ ſunt præcognoſcendæ an ſint veræ; ſecunda attribuitur paſsioni, quæ eſt præcognoſcenda quid ſignificet, vtraq; attribuitur ſubiecto, quod eſt præcognoſcendum an ſit & quid ſignificet. Vnde hæ duæ quæſtiones an ſit & quid ſit, ita ſtatuuntur de his quæ ante demonſtrationem debent cognoſci, vt etiam illæ duæ de his quæ per demonſtrationem ſunt cognoſcenda, an ita ſit, & cur ita ſit. Licet autem aſsenſus principiorum ſit alius ab aſſenſu concluſionis, vt potè qui eſt ſine medio, concluſionis verò cum medio, in aſsenſu tamen concluſionis repetitur aſsenſus principiornm, & in eo formaliter includitur. Ipſa verò demonſtratio definitur vel ex fine, eſt ſyllogiſmus faciens ſcire; vel ex materia, eſt ſyllogiſmus procedens ex veris, primis, atq; inmediatis, notioribus, & prioribus, cauſiſq; concluſionis. Eſtq; duplex demonſtratio, propter quid, & quia; quæ diuiſio non eſt vniuoca ſed analoga. Forma demonſtrationis eſt figura prima tanquam nobiliſsima. Nec ſuis demonſtratio deſtituitur proprietatibus: habet enim contrarium:

rium : non procedit in infinitum : vna eſt præſtantior quam altera. Medium potiſsimæ demonſtrationis eſt definitio ſubiecti. Iam verò opinio, neq; ſecundum actum, neq; ſecundum habitum poteſt ſimul eſse cum ſcientia de eadem propoſitione in eodem intellectu.

DE SYLLOGISMO TOPICO.

XXII. Syllogiſmus topicus eſt qui procedēs ex probabilibus propoſitionibus probabilem cõcluſionem colligit Prædicata autē ex quibus problemata Dialectica conſtituuntur ſunt quatuor, definitio, genus, proprium, & accidens. Eſtq; prædicatum dialecticum præcipua pars, ex qua componitur problema & propoſitio dialectica: nam propoſitio à problemate tantum differt per formã interrogationis, quatenus in problemate vtriuſq; partis contradictionis fit interrogatio, in propoſitione vnius.

DE SYLLOGISMO SOPHISTICO.

XXIII. Syllogiſmi Sophiſtici tractatio ſpectat ad Logicum, cuius eſt omnes formas diſputandi conſiderare. Sunt autem diſputationum genera quatuor, demonſtratiuum ſiue doctrinale ex propriis, dialecticum ex verè probabilibus ſimpliciter, tentatiuum ex verè probabilibus alicui tan-

tum, & ſophiſticum ex apparenter probabilibus. Poteſtq; cauillatio ſyllogiſmi ſophiſtici eſſe tam in dictione, quàm extra dictionem ſiue in rebus ipſis.

Sub Felicibus auſpicijs Magnifici & Admodum Rn̄di Dn̄i. D. STANISLAI ROZYCKI, I. V. Doctor: & Profeſſ: Cancellarij. SS. Omnium; Studijq; Vniuerſitatis Crac: Generalis RECTORIS.